

germanicorum carmina, etiam qui minus germanicam linguam callerent, intelligerent et degustarent. Non tamen clarus Auctor versibus latinis usus est, sed, nulla prorsus quantitate habita, id unum se consuluisse fatetur ut syllabicas, qui dicuntur, versibus iisdemque similiter desinentibus versus germanicos verteret. Putes (an fallor?) carmina medii aevi piae oculos habere.

Quod nescio an quisquam nimis probaturus sit; qui enim germanice sapiunt, germanice ea carmina legent; qui minus, sua ipsorum lingua, ea, poetice vel soluta oratione conversa, legere malent. Nonne potius fuit singulos versus germanicos singulis prosae lineis vertere, non ut numerum lector sentiret sed ut verba ipsa comprehendenderet? Id autem timeo ne, si quis tiro hos fasciculos legerit, in hanc sententiam veniat, latina carmina iure nostrae aetatis more confici posse et, quum auctor latinitatem fovere studuerit, ipse pro rata parte ei noceat.

Exempli causa primam stropham carminis Schillerii de morte draconis legenti propono:

*Quid ruit plebs, quid volvitur?
Per plateas quid strepit?
An Rhodus corruit incensa?
Se turba congregat immensa
et equitem nunc video
in globo confertissimo;
post eum (facinus quam mirum!)
attractum ferunt monstrum dirum;
os crocodili diducentem;
mirantur cuncti stupide
nunc equitem et nunc serpentem.*

Longe aliam viam nuper secutus est F. Palata moravus, quem, quum in tot carminibus suae gentis latine vertendis latinis versibus usus sit, maiore laude dignum puto.

I. M.

*Quum quis positus in prosperitate diligitur,
incertum est utrum prosperitas an persona di-
ligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim
dilectionis; nec prosperitas quippe amicum in-
dicat, nec adversitas inimicum celat.*

S. GREGORIUS.

LIBERA A PITTAIIIS RESPONSA

Cl. v. FR. PA...., *Trebic*. — Vir ille, de quo in recentioribus litteris tuis, et ipse Sacerdos S. I., abhinc quinquaginta et sex annos natus est in Hirpinia. Philosophiam et humaniores litteras per aliquod tempus docuit, deinde orationibus sacris habendis se dedidit. Anno MCMXXVII gravi oculorum morbo affectus et ad otium coactus latinam poësim tentavit, in qua aliam ex multiplicibus praeclarissime ingenii sui dotibus revelavit. In sanitatem restitutus ad contiones rediit, carmina tamen non praetermittens, quae plerumque fundit... iter faciens.

Cl. v. AUR.... DA..., *Cesenae*. — Et tibi et discipulis tuis de verbis erga nos humanitate redundantibus amplissimas gratias habemus et referimus.

Rev. v. MICH.... FU..., *Formicolae*. — Gratiias tibi quoque ob pretium *adiutricis subnotationis* missum.

Cl. v. IAC.... TAS..., *Tornoduri*. — Casum tuum vehementer dolemus, ominantes ut ad pristinam salutem quam citissime reddi possis. Euge!

Cl. v. IOS.... HOL..., *Monachiprato Saraviae*. — Utique, recte verba mea es interpretatus. Scivistine Avenarium nostrum domicilium Romanam transtulisse? Litteris tuis «de geographicis rebus» nihil huc usque habui quod satis superque responderem.

Cl. v. FRANC.... SOF.. AL...., *Radicensae*. — Quod misisti carmen nimis «ad personam» scriptum est, quam ut in ALMA ROMA edere possumus.

Cl. v. HA... LI., *Hindenburgii*. — Scriptum, quod recens nobis tradidisti, a natura commentarii nostri exsulare visum est.


IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA



Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romae, mense Februario MCMXXXIX

Fasc. II



ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

PIUS PP. XI

Dum orbis universus gestienti animo Pium XI duodevigesimum Pontificatus annum auspicantem est salutaturus, improviso acerboque nuntio percellitur, Ipsum, die huius februarii mensis decima, inter homines esse desisse. Hostiam ne Deus acceperat, quam Ei pro filiorum pace tamdiu invocata, nec aliunde requisita, Pater amantissimus se devoverat atque constituerat?

Pii enim XI si quis multiplicem, adsiduam, impigram industriamque operam, ex quo ad summi pontificatus fastigium evenctus est, sedatis utique vix teterrimi belli armis, sed odiis, aemulationibus, obrectationibus haudquaquam remissis, flagrante etiamtum spiritu, qui hic illic homines in belluas converteret, ad extremos usque vitae dies consideret, studium singulare pacis fuisse inveniet; pacis quidem, ex qua una salus repeti potest, « pacis Christi in regno Christi »; hanc in primis suis litteris encyclicis urbi et orbi veluti formam

futuri principatus sui descripsit, semperque servavit, eam per rationes omnes persequutus. Vox illa et imploratio per decem et septem annos indomita, invicta incontinenter apud homines resonat, animos tum singulorum, tum societate coniunctorum arripare undique conatur, ad ipsa fundamenta permanans Christiani regni, cuius custos, lex, vitae cultus utique est pax.

Cuius quidem aedificii lapis in Christiana puerorum institutione ponitur; hinc opportuna ad rem litterae, invitantes ut exstruant pretiosae soboli, ut ita dicamus, caldaria cella, quae eam a torpescenis lacerantisque impietatis tempestatibus custodiatur atque defendat; at simul congruentem laboris, auxili, auctoritatis divisionem stantentes inter Ecclesiam, familiam, civitatem.

Sequitur epistola encyclica « Casti conubii », quae in sacramenti sanctitate primigeniam societatem instaurans, hanc a nefaria ratione redimit materiae, corpori unice inserviente, per quam ad summam abiectionem adducta fuit, atque ad Dei le-

gem reportat, parentibus memorans sibi de duplici filiorum vita respondendum esse, sanguinis nempe et animae. Ecquid hoc, nisi novum adipiscendae pacis documentum? Domestica enim societate in charitatis vinculo conformata, necessario ille florescit tranquillitatis ordo, qui ab Augustino ordo amoris appellatur.

A lare patriisque focus ad civilis vitae societatem adscenditur. Quadragesima Leoniana chartae Pii XI commemoratio liber est de christiana pace inter cives firmanda. Non solum enim, summi praedecessoris sui doctrinae insistens, contra socialistarum affirmationes, denegat perpetua lucta opus esse ad operariorum vindicationes assequendas atque tutandas, sed praeterea ostendit post turbidum quadraginta annorum curriculum edicta a Leone XIII Pontifice viva semper atque vitalia exstisse, atque etiamnunc exstare; Ecclesiam nunquam ea mutasse, quia in veritate, insculpta, sed in dies oportunas adscriptiones addidisse, quae ad confirmandum inducerent, charitatem unum esse quod nostrae aetati sit maxime necessarium.

At adscensus progreditur, gentiumque consuetudinem attingit. Extra civiles dissensiones positus Summus Ecclesiae Pastor clamare non cessat, ut populus quisque quidquid thesaurorum moraliumque officiorum possidet arctissime servet; nec voce

tantum scriptisque clamat, docet; sed exemplo rem firmat, Italiam cum Ecclesia reconcilians, reddens nempe iterum Italiam Christo, Christumque Italiae; quae quidem Lateranensis, quae vocata est, pacifica pactio longe Italiae fines est praetergressa, quippe symbolus beneficii evasit, quo civitatibus omnibus frui liceat, quibus bona sit voluntas gloriam in excelsis Deo tribuendi atque in terra pacem. Haud dubitanter enim planeque illa evicit a communi duarum potestatum opera identidem ad singulorum universorumque utilitatem intenta, intra fines humanarum institutionum progressionumque, pacis bonum quaeri posse. Ad bonam autem voluntatem in hominibus excitandam conferet profecto «actio illa catholica», qua laici in Ecclesiae apostolatus partem vocantur.

Ex integro hoc ad universam pacem adipiscendam ordine a Pio XI constituto, aliter fieri non poterat quin contra spiritum, voluntatem, eventum belli Is acerime exsureret, bellum exprobrans ut scelus nefandum semper, terribile, inhumatum; ut fratricidium omni ope, omni conatu vitandum. Quid ultra faciat? Quum spectrum horrificum adventans videt, ad illum propulsandum supremum piaculum seipsum Deo vovet.

Paulo post moritur...

I. F.

PII PP. XI

DECIMOSEPTIMO PONTIFICATUS ANNO EXEUNTE DEIPARATAE IMMACULATAE SEDIS APOSTOLICAE PRAESIDIUM

*Candida Pyrenis lapidosi montis in antro
luctificas minitante ruinas
turbine, Caelicolum Regina apparuit olim,
Iris ut inter amica procellam,
auxilium Christi Sponsae latura supernum,
Tartareis incurvis actae.*

*O quam conspicuo fulgebat amicta decore!
Spectabant pia lumina caelum,
instar utramque manum iunctas orantis habebat;
vestis Ei candore nivali,
caerulea unde, latus succingens, zona fluebat.*

*Sic Ipsam Bernardula vidit
rustica scruposis illis anfractibus errans,
protinus et vernavit amoena
floribus ora, prius dumis sylvestribus horrens.*

*Sic etiam, Pie, summe sacerdos
Christiadumque Pater, quondam est tibi visa Maria,
cum primum sublime teneres
Clavigeri solium Petri et durabile sceptrum,
tergemino diademate cinctus.*

*Hoc fuit usque Tibi rebus solamen in arctis
et firmavit robore pectus,
Numinis indicio decuit cum pondera mundi,
frustra Te renuente, subire.*

*Virgine nam semper saeclorum praestite plagas
Tartareos et contudit ictus*

*Sedis Apostolicae regnum, quod Petrus in Urbe
magnanima iam morte sacravit.*

*Haec etenim est Mulier, perhibent quam oracula terentem
lacteolo pede dia colubrum.*

*Paruit haec eadem passo divina Ioanni
Solis circumfusa nitore,
tempora bissenis stellis redimita coruscis,
cui pedibus stat luna scabellum,
quae sibi devitat structas Prolique beatae
insidias serpentis Averni.*

*Adfuit et praesens semper Tibi Mater amoris,
iugi copta favore secundans,
paciferum Christi posses quo extendere regnum
dividuas et cogere gentes.
Non tamen absistit Satanas innectere tricas,
dissidiorum callidus auctor,
cladibus ut perdat populos animasque sub Orco
aeternis cruciatibus angat.
Ecce Borysthenidae meditantur praelia caelo
et solo exturbare Tonantem;
Relligo populis effertur noxia passim
legibus et vexatur inquis;
tabula Dia Fides veluti irridetur inanis,
ex animis abolenda iuventae.
Perfurit, heu, Satanas impletque tumultibus orbem,
quaerens Christi evertere regnum,
demens! ante Dei qui expertus provocat iram...
En iterum flagrat aethere fulmen...
Spem cape, Sancte Pater, vigilax te numine Virgo
usque suo Immaculata tuetur.
Ipsa teret rursus cervicem calce draconis,
custos pontificalis honoris.
Sospitet interea multos te blanda per annos
et felix proroget aevum,
ut videas Fidei victoria signa per orbem,
et Christi sub Rege coactas,
quas modo disiungit, stirpes, vesana simultas,
consociatas foedere amoris;
Romaque pergit adhuc, populorum mater et altrix
pacificos agitare triumphos.*

HIRPINUS.

*Vertitur in luctum lyra vaticinata triumphos,
morteque sublatum deflet amara Patrem.
Occidit ecce Pius, pietatis victima mirae,
pro grege qui vitam voverat ante suo.
Dia Parens Ipsi producere noluit aevum,
quo citius caeli dona beata daret.
Paciferi mundus rectoris contremittit expers,
orba parente suo plebs pia moesta gemit.
Quem tamen erectum pastorem Ecclesia luget
caelitus auxilium sentiet usque sibi.*

HIRPINUS.

DE PICTURIS SEPULCRALIBUS IN CHRISTIANORUM CATAUMBIS¹

Picturarum forma modusque rei representandae in Christianorum cataumbis, quum artifices initio iuxta ethnicam omnino instructi essent pingendi scholam, parum admodum differre tum potuit ab ethnicorum pictorum stilo; idque statim conspicies quum Flaviorum, exempli gratia, hyposaea ingressus fueris, cuius ornamenta maxima ex parte ad saeculum pertinent primum. Immo, nec res representatae omnes Christianae dici possunt, sed ipsae figurae, quibus solita depingi sepultra domusque Romanorum essent, non raro in antiquioribus cernuntur cataumbis, iis dumtaxat, quae cultum idolorum respicerent vitatis. Itaque figurae non Christianae omnino in cataumbis depictae duplicitis generis sunt: figurae scilicet unice ornatae addictae, et representationes artis ethnicae propriae.

Prioris generis hae praecipue sunt: *Genii*, seu pueruli nudi, plerumque alati, qui laborantes, metentes praesertim vel vindemiantes, aut inter se ludentes exhibentur. Interdum, raro quidem, simul cum feminea figura alis quoque instructa apparent; quo in casu notissimum mythum in mentem revocant, Amoris nempe et Psyches. Hic ornamenti modus ad quartum usque vergens saeculum perdurat.

Humana capita vitis ramis plerumque aut nimbo circumdata. Ista quidem a non-nullis eruditis anni temporum esse symbola reputata sunt; sed, ut recte Wilpert animadvertisit, nisi quid in iis diversa indicans anni tempora adsit, pro simplicibus tantum ornamentis habenda sunt; idque pariter de puerulis iam nominatis dicendum, cum quibus etiam in idem chronologicum iudicium convenient. Semel persona, seu vul-

tus imitatio appareat, bis animalis cervix; nusquam vero Medusaeum caput, tam crebro in ethnicis effectum sepulcris.

Animalia, quae haud raro depicta fuere, potissimum oves, agni, columbae, pavones, anaticulae aliaeque aves; delfini natantes aut tridenti circonvoluti, polyposve insequentes. Ista quoque a primo ad quartum usque saeculum in usu fuere, ac, plus quam alibi, in Neapolitanis cataumbis abundant.

Topia, sive tabulae campos, nemora, rura, colles, etc. representantes, quae tam communia sunt in ethnicorum domorum ornamentis, haud facile in cataumbarum picturis reperiuntur. Semel enim huiusmodi *Topia* in coemeterio Domitillae apparent, licet hic illuc, tenues tamen, picturae conspicuntur agrestem exhibentes naturam. *Topia*, in ethnicis aedificiis, veluti locorum sacrorum imagines interdum depingebantur, scilicet cum deorum hermulis, arisque gramineis, quibus revera horti nemoraque conspersa erant. Nihil ethnicis familiarius fuit quam, quum rure degerent, quotidie campos circumire, plus que semel in huiuscmodi virentibus aris, ante divisorum, Priapi Silvanique presertim, simulacula sacrificare.²

Perraro eiusmodi aras, et quidem tantummodo uti ornamenta, Christiani artifices depinxere, ac, si in crypta, quam Lucinae appellant, aera silvestres representationes sunt, ad Christi eas profecto retulere altaria; in quibus alioquin vas eucharistiae, vel potius symbolum beatitudinis aeternae appositum cernitur columbis vel ovibus (scilicet fidelibus), perinde ac in picturis aliis bonum Pastorem circumdant, circumstantibus.

Serta, florum praesertim rosarum foliorumve.

² «Respiravi igitur nuper ex morbo ad sanitatem restitutus, et revalui, et apud omnes foculos, aras, lucos sacros, arbores sacras, nam rure agebam, supplicavi» (FRONTO in Ep. ad Verum imp. II, 6).

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Novembr. MCMXXXVIII.

Vasa, floribus fructibusque repleta, quae concharum formam prae se ferunt, vel calcis figuram (canthari), necnon quandoque ansis sunt communia.

Candelabra, quae, exempli gratia, in duabus cryptis sanctorum Petri et Marcellini coemeterii ad latera tabularum decoranda depicta sunt. *Candelabra* et vasa foliorum sertis efformata haud raro reperiuntur; plerumque vero columbas, pavones, genios, orantes, ac semel etiam bonum Pastorem gestant; quo fit aliquatenus verum illud Vitruvii: «... candelabra aedicularum sustinentia figuræ».³

Delineationes variae, quae lacunaria, tabulations, aliasque architectonicas exhibent figuræ. Notandum praesertim cubiculum Ampliati apud coemeterium Domitillæ, quod ex omni parte ita est decoratum.

Ad alterum genus, nempe ad artem ethnicaem, pertinent personarum inductiones, anni tempora et *Orphei imagines*. Ista quoque a Christianis pictoribus adhibita sunt quasi simplex ornamentum, quia «non ad idololatriæ titulum pertinebant», ut verbis ipsius utar Tertulliani; neque his Hippolyti canonis XI verbis talia prohiberi videntur: «Omnis artifex — ait — noverit sibi nullo modo licere idolum vel aliquam figuram idololatricam effingere, sive sit aurifaber, sive argentarius, sive pictor, sive alias generis artifex. — Si quis autem artifex, post baptismum receptum, inveniatur, qui eiusmodi rem conficerit, exceptis iis rebus, quae ad usum hominum pertinent, excommunicetur, donec poenitentiam agat».⁴ Immo eo magis

reprehensione digna esse illa nequivere, quod ex istis ornamentiis duo ad Christianas cogitationes significandas optime conversa sunt, nempe anni tempora et *Orphei imago*. Etenim, quod anni tempora seminumque vices symbolum Christianum esse possent, id luculenter ex his S. Pauli verbis eruitur: «Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus»;⁵ necnon ex innumeris Patrum scriptorumque testimoniis, praesertim Minucii Felicis⁶ ac Tertulliani,⁷ qui saeculis secundo ac tertio vixere idem patet. Notum denique est Damasianum illud epigramma, quod, proprio apponendum sepulcro, pius Pontifex sibi concinnavit, et in quo isti leguntur versus:

*Vivere qui praestat morientia semina terrae
Post cineres Damasum faciet quia surgere credo.*

Ad imaginem Orphei quod attinet, animadvertere sufficiat, *Orpheum*, in antiquissima sua imaginis representatione apud coemeterium Callisti, veluti bonum Pastorem inter duas oves apparere.

Personarum inductiones, in coemeterialibus picturis, rarae admodum sunt, nec primo altero saeculo tribuendae, sed tertio et quarto.

Bis personificatio solis, semel maris, ac semel etiam Tigris fluminis, ut personae, imago cernitur.

pium... deum cunctarum sanitatum» facere, «fecerunt — quidem — simulacrum Solis cum quadriga... Victorias, Cupidores», sed «Asclepii simulacrum effingere recusarunt». (Cfr. *Bull. d'arch. crist.*, 1879, pp. 45-88).

⁵ I ad Cor., XV, 35-38. — Cfr. CLEM. R. Ep. I ad Cor., c. IV; IRAEN., *Contra haeres.*, lib. V, c. II. P. G., VII, 1127; S. IUST., *Apol.*, I, XIX.

⁶ MIN., *Octav.*, c. XXXV.

⁷ TERTULL., *De resurrect. carn.*, XII.

Maris persona ad nomen vel ad artem defuncti referri potest; ceterae aut huiusmodi, sub personarum speciebus, representationes, rerum significatarum locum tenent.

Ethnicam quoque artem quaedam redolent saeculi secundi figura, Christi hermulam effingens, cum capite duobus radiorum fascibus instructo, ad solis instar simulacri (Helios); hoc tamen discrimine, quod Christianus pictor, quem hoc vellet modo Deum verum et omnipotentem adumbrare, dimidia huic Christi effigiei dextrum brachium adiunxit. Atqui hoc ab ethnica representatione alienum est prorsus; dum, e contra, in Christiana pictura sensum compositionis optime complet, ut nempe quadam Sacrae recordatione inductum Scripturae, quae brachium et dextram Domini, ad summam illius potestatem significandam commemorat, ut ad *Sap.* V, 17 et *Psalmos* passim.

S. S.

HISTORICAE NOTAE

De clientibus

De nominis origine non constat; alii id derivant a «cluere», hoc est audire, oboedire, appellare; alii, verius a «colere», tum sensu ethico (venerari, obsequium praestare), cum sensu oeconomico (agris incumbere colendis). Itaque clientes vocati fuere qui Genti cuidam addicti erant: non gentiles sunt, nec servi.

Clientelae institutum non peculiare populi romani fuit; clientela enim invenitur non modo apud stirpes italicas, latinas, sabinas, sabellicas, sed et apud ceteros populos indo-germanicos, uti Hellenes et Celtes; imo et apud Etruscos, et quid simile etiam apud Germanos et Slavonios. Quin immo recentiora ethnologiae comparatae studia clientelae institutum invenerunt et

extra Arios apud omnes fere populos; turram hanc secundi ordinis ex iis constitutam, qui aut olim postea in libertatem donati sunt, aut ex alia gente ad hanc venerunt hospitii exquirendi, aut operum locandarum causa; quae classis inferior novam velut vim novumque vigorem vigenti affert: hodie quoque apud nonnullas barbaras gentes qui bello captivi fiunt adgreditur deminuta hac eademque inferiore forma..

Itaque clientes non ad civitatem, sed ad gentem ordinantur, ita ut etiam post constitutam civitatem, non ad hanc sed ad gentem quamdam clientes referantur; quapropter civitatis ipsi clientes patronum non a civitate, sed a gente quadam certa habent. Familia quaeque quamplures habet clientes; licet fidem non praestandam esse putamus traditioni, quae refert clientes gentis Fabiae — (306 gentilium) — ad quattuor vel quinque millia fuisse.


Tribus fere modis clientes gentis fiunt: *deditio*, *applicatione*, *manumissione*.

Dediti clientes ii sunt, qui ex aliena gente bello subacti, non captivi facti sunt, sed sese ipsi ultro dedunt.

Applicati clientes sunt qui aut expulsi, aut e sua gente egressi, in novam gentem cooptantur; inde ius applicationis, quae antequam civitas Italica universis concessa esset, tempore Ciceronis unicus fuit modulus exercendi «ius migrandi»; scilicet acquirendi domicilium in Urbe sola commemoratione et applicatione ad aliquam gentem.¹

Manumissi denique clientes dicti sunt, qui e servis certo quodam antiquissimo ritu in libertatem redduntur; sed ipsi malunt, aut necessitate impulsi aut grati animi ergo, sub domino manere, qui non iam dominus, sed patronus iis fit; quae unica superfiuit clientium fons tempore historico, quum duae superiores obsoleverint; sed

CIC., *De oratore*, I, 167.



clientis nomen sensim sine sensu liberti nomini cedit.

Ne tamen confundas manumissos omnes cum clientibus; non enim omnes manumissi hoc ipso clientes erant, quum quidam in plenam libertatem cederent; nec omnes clientes e manumissione orti erant, quum et alii duo, ut diximus, modi sint: deditio et applicatio; neve confundas clientes et plebeios: clientes enim in civitate cives non sunt; plebeii vero sunt cives, quamvis infimi gradus, quamvis non pleno iure.

Cientes eo quod genti applicantur et subduntur, patri gentis subsunt; pater gentis clientibus est patronus; quae duo nomina et apud nos vigent, ad significandum «advocatum» qui defendit et eum qui defenditur.

Sacrosanctum est vinculum quod inter gentem, vel inter patronum et clientes intercedit; quippe quod religionis fundatum habet, quod appellatur *fides*; unde illa: «in fidem se dedere — in fidem accipere — in fide esse»; quae et in fontibus et apud classicos scriptores reperiuntur; ut in lege Aclilia repetundarum (a. 122-123 a. Ch. n.): «quia in fide is erit maioresse in maiorum fide fuerint». Quapropter vinculum id sanctitate praestat et vinculo quod viget inter amicos vel cognatos; illud unum sequitur quod est erga pupillum et hospitem. Itaque patronus qui suo erga clientes officio defuerit, punitur «consecratione capitis», qua ponitur extra deorum hominumque tutelam, ut a quolibet possit impune necari. iuxta vetustissimam legem, quae a Dionysio Halicarnasseo tribuitur Romulo: «Si quis autem convictus esset aliquid eorum commisso, obnoxius erat legi prodigionis quam Romulus tulit, et damnatum cuicumque libuerit interficere liberum erat ut sacram filiae Iovis». ² Quae lex a duodecim

tabulis est confirmata: «Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto». ³

Etiamsi clientelae institutum nonnihil postea mutatum fuerit, licet tamen a vestigiis discernere quidnam initio fuerit. Patronus ante omnia defendit, protegit clientes; initio forsan contra eos qui vim intulissent aut inferre vellent; postea, mitigatis moribus, in iudicio ei adest; immo tenetur eidem iura interpretari, ut ibidem Dionysius refert; unde Tullii illud: «Clienti promere iura». ⁴ Potestas patroni et ius vitae et necis complectebatur ut arguere fas est ex analogia cum libertis; quae potestas primum lege Aelia Sentia mitigata est, potestate facta patrono mittendi clientem in exilium «ultra centesimum lapidem», id est ultra centena millia passuum ab Urbe. Praeterea patronus potest succedere clienti, eiusque liberos in tutela habet.

Cliens cultum et nomen gentis sequitur; agros a patrono habet sibi adsignatos; ita pater gentis Sabinae Claudioe (Attaclaus vel Claudio), quum ineunte Republica in civitatem romanam accepta ea gens fuerit atque agri publici partem obtinuerit, fertur suis clientibus agri bina iugera distribuisse; quos tamen agros patronus a cliente potest ad arbitrium repetrere; inde «precarium» in contractu serius inventum est; quo contractu aliquid gratuito alteri concedebatur, pacto restitutionis, si quando ille suo arbitrio repetiisset.

Non paucis cliens officiis erga patronum tenebatur: reverentia, obsequio, oboedientia, operibus: militat in exercitu gentis; eum iuvare debet in collocandis filiabus, si opibus ad dotandum careat; ab hostibus eum cum filiis redimere, si bello capti essent, et si condemnati in iudiciis, tam iudiciorum privatorum aestimationes, quam publicas multas pro iis solvere. ⁵ Quae omnia postea etiam liberti praestant.

³ Lex XII tab. VIII, 21.

⁴ CIC., Orat., II, 1, 104.

⁵ DIONYS. HALIC., loc. cit.

Utrique nefas erat alterum in ius vocare, aut contra testimonium reddere; quod quidem inter cognatos non vetabatur. Antiquitus clienti nefas quoque erat civilia suffragia contra patronum, vel contra gentem ferre; serius vero, invalescente plebe, id obsolevit: itaque clientes Marci Furi Camilli sese protestantur paratos esse ad eum adiuvandum in multis solvendis; quod autem ad votum pro absolutione, sese liberos prorsus esse velle.

SILVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

De sede propositionum adiunctarum¹

c) Temporales in universum primam sedem obtinent.

EXEMPLA: *Dum lego*, assentior; *quum posui librum*, assentio omnis elabitur (CIC.) — *Quum ver esse cooperat*, Verres dabat se labori atque itineribus (CIC.) — *Quum dare non possem munera*, verba dabam (Ov.) — *Quum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat*, poterat videri facere id iniuste (CIC.) — *Quum Hannibalis permisso exisset de castris*, redit paulo post, quod se oblitem nescio quid diceret (CIC.) — *Quamdiu quisquam erit qui te defendere audeat*, vives (CIC.) — *Quum mihi furta, largitiones obiiciuntur*, ego responderem soleo meis consiliis, periculis, laboribus patriam esse conservatam (CIC.) — *Postquam equites vim hostium sustinere non poterant*, Caesar alteram alam mittit (CAES.) — *Dum haec a Caesare geruntur*, Treviri Labienum adoriri parabant (CAES.) — *Antequam homines nefarii de meo adventu audire potuissent*, in Macedoniam ad Planciumque perrexii (CIC.) — *Dum*

¹ Cf. fasc. sup.

eram vobiscum, animum meum non videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus quas gerebam, intelligebatis (CIC.) — *Quamdiu potuit*, tacuit (CAES., Bel. gal., I, 17) — Ut primum mihi potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermis (CIC., Fam., X, 13) — *Simul atque increpuit suspicio tumultus*, artes illico nostrae conticescunt (CIC., Mur., 10) — *Priusquam huiuscmodi rei initium expedio*, pauca supra repeatam (SALL., Iug., 5) — *Dum Carthaginenses incolumes fuere*, iure omnia saeva patiebamur (SALL., Iug., 14) — *Dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat*, pluribus locis scalis capitur murus (TIT. LIV.).

d) Postponuntur tamen, quum primaria ipsa tempus indicat.

EXEMPLA: *Munatius Plancus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur*, quum diceret senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem decernere (CIC.) — *Dixerat hoc ille*, quum puer nuntiavit venire ad eum Laelium (CIC.) — *Iam scalis egressi milites prope summa ceperant*, quum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt (SALL.) — *Hannibal iam subibat muros*, quum repente in eum patefacta porta erumpunt Romani (TIT. LIV.) — *Vix ea fatus eram*. gemitu quum talia reddit (VERG.) — *Iamque dies consumptus erat*, quum tamen barbari nihil remittere atque acrius instare (SALL.) — *Vix agmen processerat*, quum Galli flumen transiunt (CAES.) — *Multi anni sunt*, quum ille in aere meo est (CIC., Fam., XV, 14).

e) Postponitur praeterea temporalis incipiens coniunctione quae significat «usquedum».

EXEMPLA: *Adfluere ingens multitudo cum luminibus*, atque ubi incoludem esse Agrippinam pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus

villam statione circumdat, refractaque ianua, obvios servorum abripit, *donec ad fores cubiculi veniret* (TAC.) — *Exspectate dum consul aut senator fiat Caeso* (TIT. LIV.) — Iratis subtrahendi sunt ii in quos impetum facere conantur, *dum se ipsi colligant* (CIC.) — Nunc Scaevola paulum requiescat, *dum se calor frangat* (CIC., *De Or.*, I, 52) — Augustus rectorem solitus est apponere regibus aetate parvis, *donec adolescerent* (SUET., *Aug.*, 48) — Pugnatum est incerto marte, *donec praelium nox dirimeret* (TAC., *Hist.*, IV, 35) — Rhenus servat nomen et violentiam, *donec Oceano misceatur* (TAC., *An.*, II, 6) — Rusticus exspectat *dum defluat amnis* (HOR., *Ep.*, I, 2, 44) — Consules mansere infensi ac minitantes, *donec magistratu abirent* (TAC., *Ann.*, V, 11).

f) Primariae anteit concessiva.

EXEMPLA: *Quamquam adesse eis non licebat, aderant tamen* (CIC.) — *Quum Plato a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, tamen eodem rediit Dionis precibus adductus* (CORN. NEP.) — *Faciā ut imperatores solent: quamquam paratiſſimos milites ad p̄raeliandum vident, eos tamen adhortantur* (CIC.) — *Quamquam festinas, non est mora longa* (HOR., *Od.*, I, 28) — *Etsi nihi aliud Syllae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat* (CIC., *Syll.*, 32) — *Etiamsi propter amicitiam voluisset Milo Clodium ab inferis revocare, propter rempublicam non fecisset* (CIC., *Mil.*, 29) — *Quamquam omnis virtus nos ad se allicit, tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit* (CIC.) — *Etsi nihil habeat in se gloria cur expetur, tamen virtutem tamquam umbra sequitur* (CIC.) — *Quum feriant unum, non unum fulmina terrent* (Ov.) — *Ut rationem Plato nullam afferret, ipsa auctoritate me frangeret* (CIC.) — *Tametsi viciſſe debeo, tamen de meo iure decedam* (CIC.) — *Quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditio-*

res discum audire quam philosophum malunt (CIC.) — *Quum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardenter diligeris* (Pi.).

g) Postponuntur finales.

EXEMPLA: Ager non semel aratur, sed novatur et iteratur, *quo meliores fetus et grandiores possit edere* (CIC.) — Philosophiae servias oportet, *ut tibi contingat vera libertas* (SEN.) — Obducuntur libro aut cortice trunci, *quo sint a frigoribus et caloribus tutiores* (CIC.) — Hannibal cupivit bellum componere, *quo valentior poſtea congrederetur* (CORN. NEP.) — In funeribus celebritas virorum ac mulierum a Solone sublata erat, *quo lamentatio minueretur* (CIC.) — Pelopidae socii cum canibus venaticis Athenis exierunt retia ferentes, vestitu agresti, *quo minore suspicione facerent iter* (CORN. NEP.) — Horrines hominum causa nati sunt, *ut alii aliis prodesse possent* (CIC.) — Quo tempore exsules Thebani Thebas occupaverunt, Epaminondas domo non exiit, *ne manus sanguine suorum cruentaret* (CORN. NEP.) — Vitem serpentem ferro amputans coercet ars agricolarum, *ne silvescat sarmensis et in omnes partes fundatur* (CIC.) — Maiores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, *ut dictator esset* (CIC., *Fin.*, 2, 4).

h) Consecutivae item postponuntur.

EXEMPLA: Tantam semper potentiam veritas habuit, *ut non subverti possit* (CIC.) — Ita patet populi romani potestas, *ut terrarum orbem complexa sit* (CIC.) — Tam parvi divitias pendo, *ut de eis nihil curam* (CIC.) — Tot hominibus commoditates largita est natura, *ut nihil amplius optare queant* (CIC.) — Nemo adeo ferus est, *ut non mitescere possit* (HOR.) — Collis erat, ab superiore parte silvestris, *ut non facile introrsus perspici posset* (CAES.) — Ita se eam domum aedificatum dixit, *ut libera a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset* (VELL.).

PAT.) — Neque ita generati a natura sumus *ut ad ludum et iocum facti esse vidēamus* (CIC.) — Ardebat Hortensius cupiditate dicendi sic, *ut in nullo unquam flagrantius studium viderim* (CIC.) — Tanta opibus Etruria erat, *ut totam terram fama nominis sui implesset* (TIT. LIV.) — Arboribus consita Italia est, *ut tota pomarium videatur* (VAR.) — Non tam liberaliter tempus natura nobis dedit, *ut liceat aliquid ex eo perdere* (SEN.) — Nulli libro tam parum virtutis inest, *ut non aliqua re proſit* (PLIN.) — Id aetatis iam sumus, *ut omnia fortiter ferre debeamus* (CIC.) — Ea caritas patriae esse debet, *ut eam morte nostra servemus* (TIT. LIV.) — Tales esse putamus, *ut iure laudemur* (CIC.) — Ille longe aberit, *ut argumentis credat philosophorum* (CIC.) — Dolabella tam fuit immemor humanitatis, *ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in Trebonio vivo, sed etiam in mortuo* (CIC.) — Vitiosa Stilponis natura sic edomita est doctrina, *ut nemo unquam illum vinolentum viderit* (CIC.).

I. JSS.

DE MUSICA SACRA

Musicae sacrae tria numerantur genera: primum musica *liturgica*, quae ex ipsis christianaे religionis ritibus, tamquam ex fonte, promanat, quaeque primos Ecclesiæ hymnos, antiphonas, totumque complectitur cantum, cui nomen a S. Gregorio Magno, anno quingentesimo nonagesimo post Christum natum ad Petri sedem evento. Sed duo circiter ante saecula S. Ambrosius videtur musicæ sacrae iam operam dedisse primum Romæ, in qua prima cantus ecclesiastici schola a Silvestro papa I instituta fuerat, ac postea Mediolani, ubi, antistitis munere fungens, tanta

animi contentione musicam sacram excoluſſe dicitur, ut ipsius parens iure merito appellari possit. Quatuor enim musicae scalae, quibus totus religionis cantus tunc temporis innitebatur, ex aliquorum historicorum opinione, S. Ambrosio debentur, qui eas e scala modi dorici generis diatoni, penes Graecos olim vigente, in usum deduxit. Notandum est scalam modi dorici Graecorum in musico sono *re*, tamquam in fundamento, positam esse: quare S. Ambrosius illam, utpote gravibus placidisque religionis cantibus accomodata, adhibendam putavit, ex qua tres alias hac ratione eruit scalas. Nam ex superiori gradu, id est e sonitu *mi*, tamquam fundamento statuto, in ceteros scandens sonos, alteram composuit scalam; simili modo ex sono *fa* in altiores sive in magis acutos progressi, tertiam constituit et ita denique quartam, quae, ut par est, a sonitu *sol* originem dicit.

In his igitur quatuor scalis, totum religionis cantum statuens S. Ambrosius, gravibus iisdemque suavissimis sonitibus plures exornavit hymnos praecipuis diebus festis canendos: ex his singulari laude dignum existimamus «Te Deum» cui nomen, maxima prae excellentia, hymnus Ambrosianus. Mirum sane est nostris etiam temporibus, quibus musica supremos attigit perfectionis gradus, Ambrosianum hymnum ad solemnes beneficentissimo rerum omnium Opifici gratias agendas Christifidelium animum in templis vehementer excitare.

Attamen S. Gregorius, quae eius erat sagacitas mentisque perspicuitas, cito animadvertisit Ambrosianas scalas plene perfecteque temporum progressui haud amplius satisfacere posse. Itaque quatuor S. Ambrosii scalis totidem adiunxit ex iis hoc modo deductas: scilicet in singulis novis instituendis scalis veluti fundamentum statuit musicum sonum quarto gradu subiectum sonitui illi, cui singulae innixaer

erant Ambrosianae scalae; sive, quo clarius rem explicem, S. Gregorius quatuor descendit gradus ex singulis sonis, in quibus, tamquam in fundamento, singulæ S. Ambrosii positæ erant scalæ, comprehensis in descensu, si ita loqui fas est, tum sonitu, unde discedendum, tum sonitu, ad quem erat pervenientum, ut in musica mos viget. Ex his ergo gravioribus sonis, tamquam fundamento statutis, S. Gregorius in altiores, sive in minus graves iterum scandere non dubitavit; quo factum est ut quatuor novae instituerentur scalæ, quæ ex Ambrosianis deductæ habendæ sunt, quæque post S. Gregorii inventum, appellari authenticæ coeperunt; Gregorianæ vero italicò vocabulo dictæ sunt *plagali*, idest oblique, quæ sensu quodam suavis moestitiae, sive deprecationis animum afficere videntur.

Itaque S. Gregorius, Ambrosiano opere mirum in modum aucto perfectoque, hymnorum antiphonarumque collectionem, sive, ut aiunt, antiphonarium scrispsit, quod in tota Ecclesia ad occidentem spectante in usum deduci iussit. Atque ex eo tempore psalmi, antiphonæ, hymni musicis sonitibus exornata totusque religiosus cantus a S. Gregorio, de musica sacra optime merito, Gregorianus appellari coepit.

Quaestio est, quam brevitatis gratia prætermittimus, utrum S. Gregorius ad musicos sonitus designandos litteris, more Graecorum Romanorumque usus sit, an numeris, ut a sexto ad decimum secundum saeculum post Christum natum plerique musici sonos oculis accipiendos præbere consueverunt. Signa autem, quibus S. Ambrosius musicos expressit sonitus, historici fere silentio praetereunt. Notandum insuper, Graecorum scalam, de qua supra verba fecimus, similem fere esse nostræ, quæ a re minori nuncupatur. Denique supervacaneum addere existimamus septem musicos scalæ sonitus ex antiquissimis usque temporibus eosdem fuisse ac nostris

diebus, quum ex ipsa hominum gutturus conformatio[n]e, sive natura, sponte sua profiscantur.

At vero sunt alii historici, qui putent octo musicos tonos, quos supra memoravimus, Ambrosio atque Gregorio minime deberi, sed plura ante saecula iam extitisse et in Ecclesia orientali a sanctis viris Iacobo, Marco et Barnaba, in occidental[i] autem, sive romana, a S. Petro in usum fuisse deductos, quum ex his apostolis primi Christifideles psalmos canendos docti fuerunt. Certum est enim penes christicos Graecos, Armenos, Maronitas, Coptos atque Aethiopes, octo tonis, de quibus diximus, religiosos cantus innixos fuisse: eandem igitur canendi rationem et in romana viguisse ecclesia iure merito coniici debet. Re quidem vera historicus F. I. Fétis in opere, cui titulus *Histoire générale de la musique*¹ ait nihil certi statui posse de opera, quam S. Ambrosius dederit musicæ liturgicae instaurandæ, quum id genus documenta ob temporum vicissitudines sint pessumdata. Ceterum extra omnem dubitationis aieam positum est, — pergit Fétis —, mediolanensem ecclesiam, ante S. Ambrosium, liturgica quadam musica non caruisse: hanc sanctus antistes melius ordinatam pluribus *praefatiis* atque hymnis auxisse perhibetur, ut ex scriptis Valfridii Strabonis, fratris Benedictini, qui nono saeculo christiano vixit, colligi potest. Quod autem ad S. Gregorium attinet, Gallicus historicus² plures profert religionis cantus, qui in tonis obliquis vulgo *plagali* positi sunt, quique, ante S. Gregorium, in variis ecclesiis iam viguerant. Ex Fétis igitur sententia S. Gregorius in suo *antiphonario* nihil aliud fecisse videtur, quam in unum collegisse atque sapienter ordinasse varios cantus iam antea in usum deductos, iisque, pro rituum opportunitate, aliquos forsitan marte

¹ Vol. IV, pag. 134.

² Vol. IV, pag. 149, 156, 157.

proprio addidisse, qui non novis, sed iisdem octo tonis iam vigentibus essent in nixi.

Itaque, Fétis opinione minime obstante, concludere nobis licet non levia beneficia ab Ambrosio atque Gregorio in musicam sacram fuisse profecta, quum, ut ipse fatetur historicus, tum Mediolani antistes, tum Romanus Pontifex religiosis cantibus ordinandis, augendis, evehendisque pro viribus ac tempore operam dederit.

De primo musicæ sacrae genere haec pauca leviter attigisse sit satis; secundum autem et tertium genus disserendum ad proximos numeros deferimus.

HERS.

ANNALES

Civilia colloquia

Supremus rerum civilium in Anglia moderator Chamberlain una cum exterorum negotiorum administro Halifax, post brevissimam Luteriae Parisiorum mansionem, Romam advenerunt. De quo quidem eventu multæ factæ sunt conjecturae in utramque partem, eoque magis quod arrepta occasione ex clamoribus qui in publicis Italorum coetu legibus ferendis intercesserunt de futuris Italiae vindicationibus, animorum nova contentio apud Gallos in Italiam exorta est. Verum post Romana habita colloquia prædicatum est nihil de hoc argumento fuisse agitatum; sed tantum renovata proposita pacis servandæ, dissidiane queilibet componendi per mutuam bonarum voluntatum intercessionem, ut in Monacensi superioris mensis Septembris conventu peractum est.

Anglici administri Romæ et Summum Pontificem viserunt.

Italicis autem exteris rebus præfectus Ciano Bellogradum tenuit ad Iugoslaviae cum Italia amicitiam confirmandam.

Denique Nationum Societas Genevae congregata est ad Sinarum petitionem perpendendam ut intercessionem suam et auxilia Sinarum populo contra Iaponiam præstaret. Senatus fuit consultus, ut singulæ nationes, quarum aliquo modo discrimen interesse possit, Sinensis legati propositiones excutent, probandæ necne sint. Itaque... dum Romæ consulitur Saguntum expugnatur.

In Sinis

Iaponii enim, post brevem moram, renovata rerum suprema administratione genitam, quum haec eamdem agendi rationem hic usque habitam se prosequuturam declarasset, bellum ultra inferre iterum coeperunt, alias victorias sibi comparantes. Nunciatae quoque sunt discrepantiae, eaque graves, inter Sinenses duces Ciang-kai-scheck et Wang-chan-shu; quae profecto hostium spiritum inflant.

Hispanicum bellum civile

« Nationalistarum » pars triumphans in dies procedit. Post Tarragonem captam Barcinonemque in libertatem vindicatam, Catalauniam omnem ditioni sue addixit et ad Pyrenæos montes copias suas adduxit, in turpem fugam Communistarum caturvis versis, quae asylum in finitimatam Galliam incomposite quaesiverunt.

Regales nuptiae

Die xxiii mens. ianuarii Romæ, in regiis aedibus Quirinalibus, nuptiae celebrae sunt inter Mariam, Italici regis et imperatoris filiam natu minimam, et Aloisium principem e Borbonica Parmensi domo; qui deinde aditum ad Supremum Pontifi-

cem habuere eiusque benedictione donis que honestati sunt, et ad Petri quoque se pulcrum veneraturi accesserunt.

POPLICOLA.

Christiani orbis luctus

Facere non possumus quin eventuum proximam recensionem nostram praecurrentes, de acerbissimo Christianorum omnium luctu mentionem hodie faciamus ob PIUM XI Supremum Pastorem fere ex improviso, die x huius mensis februarii, morte extinctum. Vixit annos LXXXI, menses VIII, dies x; Ecclesiae universae magnifice praefuit annos XVII, dies IV.

Aveto, anima meritissima, iam caelo sane recepta, ubi te anteactae vitae fides et opera Superis consociarunt!

P.

ROMA SACRA

Pii PP. XI obitus et funera

Pius PP. XI, qui per octoginta fere annos optima fructus erat valetudine, mense iunio MCMXXXVI prima arteriosclerosis symptomata advertere coepit, quae sub anni finem per hebdomadas tres ingravescerunt gradu permanerunt; postea vero gradatim ita in melius inclinarunt, ut in pristinum statum augustus vir reductus fuisse videretur, imo ipse affirmaverit praestantiori vi praeditum se sentire, atque magis idoneum ad intensissimum laborem resumendum, cui esset assuetus; quem reapse usque ad diem XXVI superioris mensis novembris explevit. Mane vero illius diei, vix sacris litatis, animo ex improviso relictus est; tum vero quoque corporis vigor praevaluit, omnesque admirati sunt bre-

vissimo tempore ad impigerrimam actionem suam omnem illum redisse. At die VII huius mensis februarii quum levis puita intervenisset, medici auctores ei fuerunt ut cuiuslibet negotii intermissioni per aliquot dies indulgeret, maxime si velleret quod sibi proposuerat perficere, indicto nempe Italorum episcoporum conventui et sollemnibus in Vaticana basilica celebrandis praeesse. Aegre huic se Pontifex subiecit imperio medicorum, qui familiaribus se de infirmo sollicitationibus urgeri minime tacuerunt. Re quidem vera renum impotentia cum febri successit, successit angustior spiritus, ac demum cordis paralysia, quae Sanctissimum Virum hora quinta cum momentis triginta et uno diei x, vix oleo sancto a Praefecto Apostolici sacrarii inunctum, morte affecit.

Corpo in eodem lecto ubi animam efflaverat composito, obitusque recognitione iuxta ritum peracta ab Etno viro Eugenio Pacelli, Sanctae Romanae Ecclesiae Praefecto, seu Camarlingo, cadaver nobilium stipatorum cohorti est demandatum, pauloque post aditus aulicis datus ut moerorem animi sui ob parentem desideratissimum sibi praereptum apud ipsum effunderent. Hora eiusdem diei decima sexta, adhibitis antea pharmacis quae sacras exuvias incorruptas servatura essent, hae in Xystinum sacellum deductae fuere, ubi, vespera, episcopalibus insignibus vestitae sunt et Romanorum nobilium, legatorum exterarum gentium aliorumque illustrium virorum pietati ostensae usque ad subsequentem diem, quam, hora decimaseptima, in Vaticanam basilicam, Purpuratorum comitante coetu, sunt sollemniter translatae, ibique in Sanctissimi Sacramenti sacello depositae civium advenarumque venerationi, qui confertim et sine intermissione per dies fere tres, ad plurium centenorum millium numerum, undique confluxerunt. Denique die XIV februarii, hora decima sexta, ante Petri cathedralm in ipsa Va-

ticana basilica triplici feretro compositae sunt, ac proinde in cryptis Vaticanis, prope tumulum Pii PP. X reconditae. Notitia rerum a tanto Pontifice gestarum tradita est inscriptione, quae sequitur, in interiori feretro inclusa:

«PIUS XI PONT. MAX.

Achilles Ambrosius Damianus Ratti Deusii, in oppido Archidioecesis Mediolanensis, die XXXI mensis Maii, anno Rep. Sal. MDCCCLVII natus, insequenti die Iuliali sacri fontis aqua expiatus est.

Prima iuventute ineunte, ad sacerdotium divino instinctu vocatus, Modiciae, Mediolani, Romae in sacras profanasque disciplinas summa cum laude incubuit; atque die xx Decembris, anno MDCCCLXXIX in Lateranensi Archibasilica sacerdotalem ordinem dignitatemque suscepit.

Primum in patrio Seminario sacrorum alumnis instituendis sollerter operam dedidit; dein vero, pro eximiis, quibus pollebat, litterarum optimarumque artium ornamenti, Ambrosiana, ac mox Vaticanae Bibliothecae Praefectus renuntiatus est; quo in munere obeundo, sive eruditis hominibus consilio assidens, sive operosas peragens investigationes, de humanis divinisque disciplinis optime meruit.

At ad latiorem laboris honorisque campum Dei nutu vocabatur; siquidem saeviente fere ubique per Europam immanni bello, in Polonię sequester pacis mittitur; ibique, mandato Summi Pontificis Benedicti XV, qua Visitator Apostolicus, qua Nuntius, non modo Iesu Christi Vicarius partes actuosa navitate sustinuit, sed illud etiam «antemurale christianitatis», novo oberto infensissimo bello, strenuo vigore ac singulari ausu tuitus est.

Rebus tandem compositis, anno MDCCCCXXI in patriam reversus, Mediolanensi Ecclesiae Archiepiscopus praeficitur, ac Romanae Purpureae maiestate summo cum omnium plausu decoratur.

Perbrevi tantum temporis spatio Ambrosiana urbs potuit tanto Pastore perfui; etenim Benedicto XV, in maximo catholicorum orbis moerore, e vivis sublato, in eius locum, die VI mensis Februarii, anno MDCCCCXXII, gratulantibus christifidelibus omnibus, suffectus est, sibique Pio XI nomen indidit.

Innumerabilia sunt ac miranda prorsus quae in Dei gloriam et Catholicae Ecclesiae incrementum per septem et decem annos in Summo Pontificatu gessit. Sacras expeditiones, missis usquequa gentium Evangelii praeconibus, pluribusque Dioecesisibus, Vicariatibus vel Praefecturis Apostolicis conditis, summopere propagavit; sacrorum alumnos, novis excitatis Seminariis, Athenaeis studiorumque Universitatibus ac sapientibus editis normis, ad litterarum altiorumque disciplinarum studia cohortatus est; insurgentes errores atque haereses praeclarissimis impertitis documentis, damnavit atque compescuit; itemque, ut cleri operam faciliori latioreque efficaret, in sacri apostolatus partes eos omnes cooptavit, qui, in Catholica Actione militantes, Iesu Christi Regnum omni ope provehund.

Publicas cum Civitatibus necessitudines quam impensissime fovit, auxit; ac novas cum Rebuspublicis non paucis conventiones sanxit; in quibus illae notatu dignae, quae inter Apostolicam Sedem et Italiae Regnum feliciter initae sunt.

Ter Iubilaea sacra catholico orbi indit; quinto scilicet huius saeculi exeunte lustro; quinquagesimo dein sacerdotii sui vertente anno; decimo nono denique revoluto saeculo a peracta humani generis Redemptione.

Plurimis evangelicae virtutis heroibus vel Beatorum vel Sanctorum honores decrevit eosdemque christiano populo ad imitandum proposuit.

Quapropter tot curis laboribusque fractus, die X mensis Februarii, anno

MDCCCCXXXIX complorantibus cuiusvis ordinis hominibus ac gentibus placidissime in Domino quievit.

Animo fuit invicto, ingenio acri, voluntate tenacissima.

Veritatem omnibus, etsi non gratam, aperte profitebatur.

Sacrosancta Ecclesiae iura adversus quoslibet conatus, per omnem Pontificatus sui decursum, toto pectore adseruit.

Vixit annos LXXXI, menses VIII, dies X; in Summo Pontificatu annos XVII, dies IV.

Sanctissime Pater, perpetuo vivas in Christo, ac sempiterna beatitudine fruare».

VARIA

Quae voces opinionesque civi cuiquam apud populum favorem conciliare soleant.¹

Tres in universum mihi videntur esse res, per quas existimationem aliquam apud populum comparare possis; et earum quidem primum locum obtinent maiores tui, ex quibus prognatus es: qui si viri fortes atque excellentes fuerint, similem de te spem atque opinionem apud homines excitabunt; soletque eo usque durare haec de illis opinio, donec re ipsa contrarium ostendant. Secundum locum obtinet vitae tuae ratio. Itaque non nisi cum viris egregiis et virtute praeditis conversari oportebit, ut similem de te opinionem excites; nam talem te homines esse opinantur, quales si sunt cum quibus conversaris. Necessumque quodammodo videtur, ut similitudo aliqua sit inter eos, qui subinde simul sunt. Summum denique instrumentum conciliandae tibi auctoritatis atque existimationis est, si aliquid vel publice vel private pa-

traveris, quod honestum simul ac memorabile sit. Longeque certiora sunt indicia, quae ex hisce argumentis desumuntur, quam quae ex binis prioribus dependent. Nam quae sumuntur ex parentibus argumenta virtutis admodum dubia sunt et saepe hominibus imponunt; nec quicquam certi continent, donec res ipsa suo tempore testimonium suppeditet. Quae ex vitae ratione et amicitiis, quae colis, sumuntur, aliquando hisce certiora sunt, nondum tamen tam firma, ut quae ex actionibus et rebus gestis colliguntur. Nam omnis quae de aliquo concipitur spes et existimatio virtutis sive propter maiores, sive propter homines, cum quibus conversaris, tota tamen illa sola nudaque opinione niftitur, donec re ipsa memorabile quippiam patraveris, ex quo documentum tuae virtutis constet. Plurimum igitur possunt, ad conciliandam vel bonam vel malam existimationem apud populum, quae principio statim aetatis a te memorabile patrantur sive bona, sive mala; usque adeo, ut nec facile aboleatur eorum memoria aliis contrariisque actionibus. Itaque in id studium unice incumbere debent, qui in Republica emergere cupiunt, ut prima aetate alicuius singularis virtutis documenta edant. Romae id certe facilitatum est a multis; quamobrem solebant aliqui vel legem aliquam rogare, quae Reipublicae salutaris futura videtur, aut potentem aliquem civem qui in leges delinqueret accusare, aut aliquid aliud facere, de quo necesse esset sermones apud multos haberi. Nec semel tantum fuerit tale quiddam patrandum, sed iterum, novis virtutum documentis, rerum iam ante gestarum memoria renovanda confirmandoque, ut praecclare de te sentiant homines. Itaque T. Manlium hic libebit imitari, qui quum patrem primo defendisset forti animo et pietatis suae egregium documentum ea in re edidisset, paucos post annos singulari certamine cum Gallo pugnavit, eum vicit, et detracto tor-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

que ex eius collo, Torquati nomen est adeptus. Et quum ad maturam aetatem pervenisset, iustitiae atque severitatis documenta in filio quoque edidit; quem, quod adversus edictum suum, in hostem extra ordinem pugnasset, securi percussit, quamvis hostem, a quo provocatus fuerat, interfecisset; videlicet ne posteri haberent exemplum solvendae militaris disciplinae. Quibus ternis suae virtutis documentis tantam nominis celebritatem sibi comparavit, quantam illi nulli triumphi aut victoriae comparare potuerunt. Et merito sane: neque enim ullus ille fuit, qui victoram egregiam de hostibus abstulit, sed multos habuit cives, qui illi in hac re et pares et superiores fuerunt; sed in ternis hisce exemplis aut nullos, aut certe paucissimos, similes habuit. Scipionem quoque non tam celebrem fecere tot praeclarae victoriae atque triumphi, quam exempla pietatis: patrem ad Athesim fluvium defendit, et iuventutis Romanae nobilissimos quoque, post Cannensem pugnam, per vim iuramento adegit, ne patriam desererent, quum tantae clades metu ex Italia ad Regum quempiam aufugere decrevissent. Haec namque exempla virtutis in prima aetate edita aditum illi ad reliquias Hispanicas et Africanas victorias aperuerunt. In quibus subinde aliquid praeclari gerens, conceptam de virtute sua opinionem magis magisque constantem effecit. Tale quiddam fuit, quod in Hispania filiam patri et sponsam viro incorruptam restituit.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Iusculum ex cremo lycopersici esculent.

Spari denticis segmenta fricta.

Solana melogena ad craticulam acta.

Aper Scytharum more comparatus.

Armenia poma in liquamen redacta.

locosa

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: — Quot sunt elementa?

TUCCIUS: — Quinque: terra, aer, aqua, ignis et vinum.

— Unde tibi istud vinum?...

— Atqui pater meus semper asserit vinum esse ipsius elementum!...

TUCCIUS ne scholam adeat aegritudinem ventris accusat. Medicus accersitus interrogat, num stomacho langueat:
— Imo vero equinam famem patior.
— Optime quidem, foeni diarium ei dimetiamini!

Aenigmata

I

Vere novo nascor, pereo sub tempore brumae.
Principium muta! Me cava cella tenet.

II

Cæca vocor: casus adversos doque secundos.
Principium mutas? Omnia viva neco.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembr. MCMXXXVIII proposita his respondent:
1) *Color-Dolor*; 2) *Helene-Selene*; 3) *Mos-Bos*; 4) *Pharus-Larus*.

LIBRORUM RECENSIO

OTTO SCHMIED, *In veste latina* (I et II fasc., Oesterreichischer bundesverlag Wien und Leipzig, 1937, p. 36, 32).

Otto Schmied his duobus opellis nonnulla carmina, quae vulgo *ballade* vocantur, Goethei, Schillerii, Ulhandii aliorumque germanicorum poëtarum in latinum sermonem vertit, ut ostenderet latinam linguam non modo mortuam non esse ducendam, sed eam esse quae omnes nostræ aetatis sensus manifestos omnino facere possit. Id etiam in animo habuit, ut probatissima